

pretium sit aequale, vel si pretium imminuatur pro rata excessus, venditor immunis erit ab iniustitia, quamvis non a peccato mendacii. Dixi, *per se*; quia facile error posset esse *substantialis*, ut v. gr. si emptor intentionem expressis verbis Burdigalensi vino alligasset ob certum finem ad quem aliud quodlibet non conduceret. — Reuter, n. 113. et seq.

3<sup>o</sup> Qui apud bibliopolam emit librum, quem existimat bonum, et postea deprehendit esse pravum, nihilominus valide contraxit, quia hunc praesentem absolute et sine restrictione emere voluit, quamvis certe non emisset, si pravum cognovisset. Secus vero, si falsus titulus libro inscriptus fuisset; quia tunc titulus causam erroris substantialis praebuisset. — V. *Casus*, n. 779. et seq.

4<sup>o</sup> Dolus in eo differt a simplici errore, quod error ex dolo proveniens, productus fuerit artificii ad hunc finem adhibitis. Error, qui *per se* non esset sufficiens ad irritandum contractum, potest nullitati locum dare, si dolus intercesserit ex parte alterius contrahentis (\*).

PUNCTUM II. — *De metu.*

Metus est 1<sup>o</sup> vel gravis vel levis; 2<sup>o</sup> inductus a causa intrinseca vel extrinseca, necessaria vel libera, iusta vel iniusta; 3<sup>o</sup> incussus in ordine ad contrahendum, vel ad alium finem. — *Recole dicta in Tract. de Act. hum.* n. 17. et seq.

780. **Principia.** — I. Metus quilibet ita perturbans rationis usum, ut a gravi culpa excuset, contractum, qui ex eo subsequitur, prorsus irritat ex omni iure. Ratio, quia tunc deficit consensus ad contrahendum requisitus, sive usum rationis metus omnino tollat, sive ita impediatur, ut consensus dici plenus et perfectus non possit.

II. Nullus contractus ex metu ab intrinseco, aut causa necessaria, seu naturali est invalidus, nisi forte qui ex timore contrahit, sui compos non fuerit. Ratio est, quia nulla iniuria contrahenti irrogatur, et aliunde hic sufficientem servat libertatem. Idem dicendum est, si metus a causa libera seu ab homine iusta de causa incussus fuerit; hinc stuprator metu gravi, sed iusto, adactus ad ducendam puellam, quam seduxit, valide contrahit.

III. *Probabilis* (10) nullus contractus, *saltem onerosus*, initus ex metu levi, est invalidus, nec rescindibilis ad nutum illius, qui metum

(\*) Ex iure italico non valet contrahentis consensus dolo extortus: dolus porro tunc nullum contractum facit, cum subdoliae artes alterius contrahentis tales fuerint, ut absque illis alter non contra-

xisset. Codex Civilis articuli 1108. 1113.

(10) Cum de his in utramque partem a DD. disputetur, opportuniorem forte locum inter *Quaestiones* quam inter *Principia*, haec materia sibi vindicat.

passus est. Ratio est, quia metus undecumque levis in iure pro nullo reputatur, cum facile contemni possit. — Secus enim gravissima incommoda in commercio humano sequerentur, cum metus levis frequentissimus sit. Ita S. Lig. *Hom. apost.* tract. 10. n. 123. etc. Contradicit tamen Lugo cum *aliis*, quorum sententia probabilis a S. Alph. dicitur, praesertim si metus, licet levis, unica sit contrahendi causa.

Dixi, *saltem onerosus*; nam si agatur de contractibus gratuitis, eiusmodi contractus *probabilis* videntur irriti, quoties metus levis iniuste incussus fuerit ad eiusmodi extorquendum consensum. His enim contractibus essenziale est, ut procedant ex benevola et ultronea liberalitate. Sententia tamen opposita aliis visa est probabilis (11).

781. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *An metus gravis incussus a comparte in ordine ad contrahendum, irritet contractum, si rationem minime perturbet?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Ex omnium sententia contractus huiusmodi sunt rescindibiles, sive gratuiti sint, sive onerosi.

*Resp.* 2<sup>o</sup> Quoad contractus *gratuitos affirm.* Hoc enim a *fortiori* patet ex dictis de metu levi. Et sane si eiusmodi contractus valeret, qui metum incutit, ius acquireret in rem sibi traditam aut promissam; hoc autem repugnat, tum quia deest animus gratuito donandi, tum quia ius ex iniustitia oriri nequit (12). — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 716. *id admittit ut probabile.*

*Resp.* 3<sup>o</sup> Quoad contractus onerosos, valde *controvertitur*, et duplex datur sententia probabilis.

I<sup>a</sup> **SENTENTIA communior** affirmat huiusmodi contractus esse validos. Ille enim, qui patitur metum, vult *vere* et *absolute* ex suae voluntatis motu contrahere. — Ita S. Lig. *ibid.* — Lugo, *et alii.*

II<sup>a</sup> **SENTENTIA** docet, contractus illos ex iure naturae esse plane irritos. Ratio est, quia secus ius ab iniustitia oriretur; et proinde incutiens metum posset rem extortam sine iniustitia retinere usque ad iudicis sen-

(11) Si probabilitas requirit iudicium prudens atque adeo solida quapiam ratione innixum, vix apparet, undenam huic opinioni probabilitas conciliari possit. Cum enim gratuitus contractus suapte natura procedat ex spontanea liberalitate, eiusdem ergo naturae repugnat consensus metu extortus, quem propterea quis invitatus eliciat.

(12) Intellige, quod qui iniuriam infert, non potest per id acquirere ius contra-

laesum, cum potius reparandae iniuriae obligationem contrahat.

(\*) In iure italico consensus extortus gravi metu nullus est: gravis porro est metus, cum quis rationabiliter timet ne ipse vel suae substantiae aut persona coniugis, aut alicuius ex descendantibus seu ascendentibus vel eorum substantiae periculo exponantur notabilis damni.

Huiusmodi metus irritat consensum, etsi non ab altero contrahente sed a tertio incussus sit. Artt. 1111.-1113.

tentiam, quod tamen adversarii plerique omnes negant. Nec dicas, dari compensationem in contractu oneroso per solutam pecuniam vel aequivalens traditum; nam saepe durius est proprietario rem suam a se alienare, quam pecuniam gratuito ex metu tribuere.

Caeterum in praxi non valde differunt hae sententiae, cum utraque in favorem coacti tandem quaestionem resolvat, ut iam diximus de casu simili, n. 777.

Adverte tamen, ex iure canonico certo invalidos esse contractus ex metu gravi elicitos, ubi agitur 1<sup>o</sup> de matrimonio, et probabiliter etiam de sponsalibus; 2<sup>o</sup> de traditione rerum Ecclesiae et renuntiatione beneficii; 3<sup>o</sup> de voto et professione religiosa; 4<sup>o</sup> probabiliter etiam de iurisdictione ecclesiastica et absolutione a censuris (13).

782. — QUAER. 2<sup>o</sup> *An rescindibilis sit contractus propter metum reverentialem initus?*

*Resp. Neg. probabilius* (14), quia non videtur *per se* sufficiens causa rescindendi contractum, nisi simul includat metum gravem, puta diurnae indignationis, etc... Item nec preces importunissimae metum gravem constituunt, nisi forte cum metu reverentialem erga Superiorem iungantur. — Sanchez. — Salm. et alii communiter. — Vide S. Lig. n. 717. (\*).

QUAER. 3<sup>o</sup> *An sit irritus, vel privata auctoritate rescindibilis contractus, si metus gravis et iniustus a tertio tantum incutiatur, ita ut pars altera non sit iniuriae particeps?*

(13) Quaestio de iurisdictione ecclesiastica per metum extorta distingui debet a quaestione de absolutione a censuris. Postrema haec enim irrita manifeste in iure declaratur, prouti decrevit Gregorius X. in Conc. Oecum. Lugd. (*Cap. unic. de iis quae vi metusve causa fiunt in VI.*): *Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcumque revocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti per vim vel metu extortam, praesentis constitutionis auctoritate omnino viribus vacuumus* (Vid. Lugo, disp. 22. n. 129.). Secus vero de priori dicendum, pro cuius invaliditate assertur tantum L. 2. *De Iudic.*, quae lex nihil ad rem facit; quippe loquitur de iudice, cuius iurisdictioni litigatores non sint subiecti, quam nullam esse declarat, *si cum restitisset*

*quavis e litigatoribus, viribus Praeturae compulsus est.* Hinc De Lugo (disp. 22. n. 131.) probabiliorum dicit eorum sententiam, qui validam habent eiusmodi iurisdictionem. Quae sententia usui esse aliquando poterit, ut minus certa hac iurisdictione, rationabili id causa expostulante, ad absolvendum quis utatur, etsi iurisdictionem ob metum aliquem a superiore collatam suspicetur.

(14) Brevius et clarius responderi posset, *affirmative*, quando reverentialis metus gravis haberi queat; *secus, negative*. Quando autem reverentialis metus *gravi* aut *levi* aequipolleat, traditum supponitur in Tractatu *De Actibus Humanis*.

(\*) Ex iure italico solus timor reverentialis non sufficit ad irritandum contractum, nisi violentia accesserit art. 1114.

*Resp. Controvertitur.* I<sup>a</sup> SENTENTIA *probabilis affirmat*, quia ratione iniuriae, etiam a tertio illatae, res priori domino obligata manet, et consequenter cum illo onere ad quoslibet transit; non autem par est, ut quis per alterius iniuriam ius omne in rem suam amittat. — Billuart, etc. (\*).

II<sup>a</sup> SENTENTIA, et ipsa probabilis, *negat*, quia cum neutra pars iniuriam fecerit, nulla ex natura rei ratio adest, cur irritus sit contractus, et cur possit ad libitum unius rescindi, invito altero. — Lugo, D. 22. n. 117. (15). — Reuter, n. 126.

783. — QUAER. 4<sup>o</sup> *Quid si metus gravis fuerit quidem iniuste incussus, sed non ad consensum extorquendum?*

*Resp. Controvertitur*, sed videtur sic distinguendum: 1<sup>o</sup> Si metus ab altero contrahentium sit incussus, non valet contractus vel saltem rescindibilis est, quia incutiens metum tenetur tollere omnia incommoda, quae ex iniuria proveniunt. Reuter, n. 127. — Lugo, disp. 22. n. 177. etc... — 2<sup>o</sup> Secus, si metus proveniat a tertio, quia nullus contrahentium iniuriam intulit; tertius autem, qui metum infert, non potest auferre contractus obligationem, consentiendo in eius rescissionem, siquidem contractus cum ipso initus non fuit: tenetur tamen inducere ad rescissionem, ut ab innocente iniuriam avertat, si hic velit. Hinc valida est emptio gladii facta ex metu hostis tui. Excipit Lugo, n. 178., contractum matrimonii, quem ex tali metu initum putat esse invalidum. Alii excipiunt etiam contractus gratuitos, quia sic melius innocenti consulitur, et alter conqueri non potest, siquidem solo lucro privatur, ac manet in statu, in quo antea versabatur; et sicut ipse nollet in iis adiunctis obligari, ita nec alterum obligare debet.

784. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Si mineris alicui in furto deprehenso, te eum delaturum esse ad dominum laesum, vel ad custodem, aut iudicem, nisi munus certum tibi promittat, tenet promissio, nec munus acceptum teneris reddere, nisi forte iudicio viri prudentis excessivum videatur (16). Hoc

(\*) Ita et ius italicum: v. not. praeced.

(15) Lugo (l. c.) tenet, *loquendo de iure naturae, non posse rescindi, nisi qui metum intulit, faciat aliquo modo unum cum contrahente, adversus quem rescindendus erat, sed dari metum passo actionem adversus illum, qui metum intulit, pro damno illato.* Haec Lugo, *spectato iure naturae*; nam (ibid. n. 118.) de iure positivo cum communi sententia tenet, contractus esse validos, sed irritandos, exceptis aliquibus, qui eodem positivo iure irriti sunt.

(16) De hoc casu ita ius romanum habet: *Si dederit fur, ne proderetur, quoniam utriusque (nempe dantis et accipientis) turpitudine versatur, cessat repetitio, scilicet negatur actio ad recuperandum, quod datum fuerit.* Et rursus: *Si a (servo) fugitivo meo acceperis, ne eum indicares, condicere tibi hoc, quasi furi, possim* (L. *Idem* 4. §. 1. et 4. *De conditione ob turpem causam*). Ad quae Ioannes Voet (lib. 12. tit. 5. n. 3.): *Cuius intererat, ob turpem causam non esse datum, condi-*

etiam verum est, etsi intentionem illum deferendi non habuisses, sed solum terrendi, quia cedere e iure tuo id faciendi, quod pretio aestimabile est. — Elbel, n. 307. — Reuter, n. 120.

2<sup>o</sup> Si Titius intulit tibi metum, ut rem aliquam Caio tradas, non tenet contractus. Etenim si Caius, quo tempore rem a te acceptat, iniuriam tibi illatam novit, metum ipsè incutere censetur per Titium. Si vero novit posterius, assimilandus est possessori bonae fidei, qui rem possessam restituere debet, statim ac comperit esse alienam. — Billuart, diss. 1. art. 4.

3<sup>o</sup> Si quis tibi damnum ex mera malevolentia paret, atque adeo nihil a te postulet; tu vero sponte pecuniam promittas, ut illaesus evadas; eam tradere non teneris; quia licet metus non fuerit in ordine ad contrahendum, habet tamen pro obiecto solam iniustae vexationis cessationem: atqui vexator hanc cessationem vendere nequit: ergo quidquid sic acquirit, ut male fidei possessor accipit, adeoque restituere debet. — Billuart, ibid.

4<sup>o</sup> Si viator a latrone oppressus transeuntem hominem in auxilium advocaverit, ei pecuniam promittendo, valet promissio, quia metus non est eius causa, sed occasio tantum; et aliunde auxilium a transeunte praestitum est pretio aestimabile. Attamen, si summa enormis esset, immi- nuenda foret, — V. *Casus*, n. 785, et seq.

## CAPUT II.

### DE OBLIGATIONE CONTRACTUS

Obligatio contractus est vinculum, quo quis vi contractus adstringitur ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

785. **Principia.** — I. Quilibet contractus rite initus parit obligationem in foro conscientiae, saltem ex parte unius e contrahentibus; quia in contractu ius aliquod tribuitur uni vel utrique parti; omni autem iuri sua correspondet obligatio; ergo, etc.

II. Contractus rite initus, nisi quid aliud pro casu particulari leges

*ctio datorum concessa legitur; ut puta domino, a cuius servo fugitivo vel fure pecuniam acceperas, ne eum indicares.* E quibus satis colligitur, hanc quaestionem fere recidere in contractum de re turpi. Ideo potiusquam dicas, eum qui silentium furi pollicetur, *e iure suo cedere*, dicendum forte erit, hunc discedere ab officio seu iustitiae, seu charitatis, seu iustitiae legalis aut charitatis

in rempublicam; neque titulum accipiendi aut retinendi accepta a fure alium illi suppetere, nisi quod periculo alicui seu damno vel spirituali vel temporali semet exponat. Confer De Lugo (disp. 19. n. 103-104.) et Molina (*De Iust. et Iur.* Tr. 2. disp. 735. n. 3.), qui negant, promissum silentium, si praedicta damni pericula absint, pretio ullo esse aestimabile atque adeo retineri acceptum pretium posse.

statuant, vim non habet, nisi inter solas personas contrahentes, aliasve, quae aut eorum locum teneant, aut cum iisdem causam habeant, ut sunt heredes, mandantes, etc. Ratio est, quia nemo privatus alteri invito onus imponere, vel beneficium concedere potest, nec alioquin contractus vim habent, nisi a privata contrahentium voluntate.

III. Contractus rite initus non solum obligat ad id, quod pacto exprimitur, sed ad omnia consectaria, quae pro conventionis natura postulant aequitas, lex, aut usus. Ratio est, quia contrahentes censentur agere cum bona fide, et propterea velle non tantum quod expresse in stipulatione includitur, sed etiam quod ab ea nasci solet (\*).

Hinc studiosè inquirenda est contrahentium intentio, si de ea clare et expresse constare possit. Si autem obscura et ambigua maneat, explicari potest tum ex materia conventionis, tum ex usu locorum, tum ex indole personarum (\*\*). Tandem si omnibus perpensis dubium tolli nequeat, am- icabilis transactio suadenda est.

786. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *Quorsum obliget contractus rescis- sioni obnoxius?*

*Resp.* Contractus ille dici potest conditionate obligans, scilicet si nullitas non invocetur. Ratio est, quia legislator ad bonum pacis noluit, ut eiusmodi contractus invalidi censerentur et essent, nisi quando eorum nullitas expresse invocaretur, et obtineretur. Sequitur ex dictis de contractibus minorum, uxorum, et interdicatorum, n. 762. et seq.

**QUAER.** 2<sup>o</sup> *An valeant et in conscientia obligent contractus initi absque formalitatibus ad ipsorum valorem a iure praescriptis?*

*Resp.* Triplex est sententia probabilis:

I<sup>a</sup> **SENTENTIA affirm.**, quia de iure naturali solus consensus partium sufficit ad obligationem inducendam, et lex humana naturalem obliga- tionem inter personas aliunde habiles non tollit, quamvis actionem civilem neget. — Molina, etc.,.

II<sup>a</sup> **SENTENTIA negat**, quia leges irritantes contractus praedictos fun- dantur in praesumptione non tantum doli, sed etiam periculi communis; postulat siquidem bonum commune, ut ansa quibuslibet fraudibus tol- latur; et proinde naturalem quoque obligationem contractus irriti in foro externo lex tollere potest et debet. — Lessius, l. 2. c. 19., etc.

III<sup>a</sup> **SENTENTIA tenet**, in his contractibus praefendum esse posses- sorem, donec per sententiam iudicis condemnetur ad restituendum (1). —

(\*) Ita et ius italicum C. C. art. 1124.

(\*\*) In contractibus, potius quem stetur litterali verborum sensui, indaganda est communis contrahentium intentio. C. I. art. 1131.

(1) Clarius<sup>7</sup> Lugo (disp. 22. n. 251.), qui hanc opinionem reipsa futilem esse evincit. *Tertia sententia media dicit, non esse omnino nullum testamentum vel contractum sine ulla solemnitate*